

**Dissertatio medica inauguralis, quaedam de venaesectione complectens ...
/ Eruditorum examini subjicit Abrahamus Colles.**

Contributors

Colles, Abraham, 1773-1843.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Robertum Allan, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s8469rqf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

11
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
VENÆSECTIONE COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ABRAHAMUS COLLES,
HIBERNUS;

A. B. T. C. D.

SOCIUS LICENTIATUS COLLEGII

REGALIS CHIRURGORUM IN HIBERNIA.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Quis leget hæc? min. tu istud ais? nemo Hercule, nemo?

Vel duo, vel nemo.

PERSIUS, Sat. I.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
APUD ROBERTUM ALLAN,

MDCCXCVII.

INSTITUTIONAL WORK: MANUAL

VEN. SECTION: COMPLETION

...

...

D. GEORGE D. ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

RICARDO COLLES,
JURISCONSULTO, PATRUO DILECTO
CUJUS
AMICITIA, ET BENEFICIA VERE PATERNA
SIBI DELATA
SEMPER ALTA MENTE REPOSTA MANEBUNT:

NECNON,
GULIELMO COLLES,
FRATRI CHARISSIMO,
CUI SE DEVINCTUM ESSE PALAM AGNOSCIT,
NON TAM CONSANGUINITATE
QUAM STRENUA IMMOTAQUE EJUS VIRTUTE,
ET ANIMO BENEVOLENTIA SUMMA IMBUTO,
HOC
OBSERVANTIÆ, ET FIRMÆ AMICITIÆ
TESTIMONIUM UTCUNQUE LEVE OFFERT,
A U C T O R.

WILLIAM COLLEGE

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1871

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

WILLIAM COLLEGE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1871

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

WILLIAM COLLEGE

UNIVERSITY OF CHICAGO

1871

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
VENÆSECTIONE COMPLECTENS.

AUCTORE, ABRAHAMO COLLES.

HUJUS almæ academîæ legibus coactus, quæ unumquemque medicinæ honores ambientem, utut invitum, dissertationem de re aliqua ad medicinam pertinente in lucem proferre jubent, mecum decrevi de Venæsectione quædam scribere : quare vero hac, ex magnâ quam scientia medicinæ præbet sylvâ excerpfi, paucis accipe. Cum nuperrime per quinquennium ad chirurgiæ studium incumberam, mihi contigit, ut in noscomio peramplo plures vide-

rem ægros talibus laborantes morbis, quales sanguinis detractiōe egere visum est. Hâc datâ itaque occasione, fieri non potuit quin salutares hujus evacuationis effectus iterum atque sæpius viderem. Quando vero nuperrime medecinæ operam dare statui, multos morbos et magis cito, tute et jucunde ad finem perductum iri arbitrabar, (analogia usus) si modo medicorum animi a phlebotomiâ haud abhorrerent. Undenam hæc lanceolæ formido esset quærenti diu, multaue mecum reputanti sequentes protulerunt sese causæ. Medici, in genere, proprio judicio nimis parum utentes, aliorum oculis plus æquo confidunt, imo etiam quæ illorum observationi sese obtruserunt, utut plane pateant, his tamen diffidunt, si modo auctoritati magnorum nominum adversarentur. Hi vero magnorum nominum viri, vel militum sanitatem advigilantes in regionibus insulisque tropicis, ubi aeris cœlique natura lanceolæ vetant usum, artem medicinam excoluerunt; vel in nosocomio peramplo, ubi pauperum squalidorum conferta turba aerem inquinaverunt; unde evenit ut omnium ægrorum qui in hoc recipi-

antur

antur morbi plus minus naturam induant febris quæ *Jail or Hospital Fever* audit ; et hanc ob causam in horum morbis minus idoneus evadit lanceolæ usus. Plurimi vero dum medicinæ ad studium incumbabant, limine in ipso, mente capti sunt quâdam theoriâ nitidâ, quam, vel scriptoris ingenium ornavit, vel cui professoris auctoritas (minime enim negandum est et professores hac non prorsus caruisse culpâ) momenti haud parvum addiderunt : quod si sanguinis detractio receptæ hypothesei adversaretur, ejus usum tanquam inutilem vel etiam perniciosam repræsentabant. Hypotheses vero quibus imbuitur animus diu servat, hisque in medicinâ excolendâ veluti ducibus, postea utitur. Quod vero auctoritatem vel antiquorum vel medicorum hodie celebrium pro nihilo habeamus, minime auctor essem ; neque enim me latet quibus cum difficultatibus circumdamur dum observationes condere volumus ; has enim sæpe repetere, easdem quam maxime variare et in aliis corporibus, aut eodem in corpore, alio tempore, aliâ conditione, et rebus ex-

ternis quam maxime diversis existentibus, tentare, admodum necessarium erit.

Cum ab his et similibus causis animos medicorum prorsus a venæsectione alienos esse suspicabar, mecum decrevi in hâc differtiunculâ pauca de ejus quos vidi, effectibus in morbis quibusdam sanandis dicere, hâc scilicet spe, ut unus aut alter quos vel munus academicum vel fors aliqua, hæc legere cogerint, secum reputent; ecquinam sint morbi plagis hisce in septentrionalibus, qui hoc remedio adhibito, magis feliciter curarentur quam hodiernâ a praxi? Quoniam parum medici profecerunt hactenus et parum, ni fallor, profecturi sunt in posterum qui, nullâ adhibitâ ratiocinatione, solâ experientiâ semet occupaverint.—“ Theoriâ enim medicâ seu principiis quibusdam generalibus egemus, quibus innixi in novis aut arduis occasionibus dirigamur, et ad eam medendi rationem tentandam perducamur quæ naturæ morbi et conditioni ægri rite accommodata, et tutissima ipsa fuerit et maximum simul beneficium et auxilium

“ lium promiserit.” His inductus argumentis, quibus, (si veritati vires nomen addat) GREGORIUS noster haud parum momenti addidit ; non solum effectus phlebotomiæ quos ipse vidi, qua potui enarravi fidelitate, sed quibusdam de circuitu ejusque cum genere nervoso nexu præmissis, ratiocinatione analogiâque usus, quasdam opiniones conjecturales ejus de usu in aliis morbis tractandis proponere ausus sum.

Nexu quam arctissimo, vel potius necessitudine mirandâ organa sanguinem promoventia cum cerebro nervisque connectuntur ; ita ut, ad hæc excitanda suisque muneribus aptanda, sanguinis circuitus sanus desideratur ; variisque vasorum hæmatorum conditionibus varie cerebri nervorumque functiones afficiuntur. Perpaucis exemplis ad hanc opinionem confirmandam opus esse duco. Auctum sanguinis impetum aucta senilitas comitatur : hoc validam post exercitationem unusquisque in semetipso experiri licet : auctâ vero solummodo sanguinis velocitate, uti in debilibus et quibus larga inanitio

inanitio accidit, augebitur plerumque sensibilitas : quod si plus æquo sanguinis in capite congeratur, tunc lassitudine spontaneâ, ad motum torpore, sensûum hebetudine hominem laborare videmus. Licet virium muscutorum causas in totum explicare nequeamus, tamen quædam cum iis proprius conjuncta cernere datur. Mobilitatem vigoremque a statu cerebri, nexuque quem musculi cum nervis habent, pendere videmus ; quoniam vero vasorum hæmatophorum variæ conditiones cerebrum nervosque afficiunt, muscutorum etiam vires inde affici necesse fit, clare patet. Sic aucto sanguinis caput versus impetu, augentur muscutorum mobilitas atque vigor : congestionem in capite comitantur ad motum torpor, debilitatisque species. Si vero aucta velocitas cum sanguinis diminutâ quantitate conjungatur, tunc mobilitate morbosâ, debilitate verâ musculi laborant.

Phyfiologis medicisque olim sententia fuit systema sanguiferum in muscutorum vires latum habuisse imperium sine cerebri nervorumque interventu ;

vario

variò scilicet illius quoad distentionem inanitionem-
que statu. Musculi omnes in corpore animali vi-
vente, vi gaudent Tonicâ; hanc vim Tonicam pen-
dere rati sunt a distentione ultra statum naturalem,
eum videlicet statum, quem agente elasticitate solâ
tenerent musculi. Hanc distentionem præbere di-
cebant actionem muscutorum oppositorum, pondus
quas sustinent partium, et præ aliis causis vasa san-
guifera, quæ tam intime sese omnes per musculo-
rum fibras dispertiunt, ut fieri aliter non possit
quin illorum plenitudo has quam plurimum disten-
dat: hæc opinio ex hâc re confirmari videbatur,
quod, auctâ, quospiam intra limites, distentione,
augetur Vis Tonica.

Hæc sententia (meo iudicio) basi haud satis sta-
bili nititur. Tantum enim abest ut musculus, ul-
tra statum, quem elasticitate teneret, distenderetur,
quod periculis de industriâ factis jam comprobatur,
longe aliam existere conditionem. Nam si animal
quâdam subitæ mortis specie perementum esset, e.
gr. plagâ in ventriculum impactâ, fulminis ictu, irâ,
vel

vel animi gravioribus affectibus ; rebus sic sese habentibus, compertum est aliquem musculum e corpore excisum, et postea in locum repositum, nunc longe ultra limites originem inter insertionemque sese extendisse. Ex quibus concludere licet (vi elasticitatis a vitâ minime pendente et adhuc superflite) musculum, dum vixit animal, contractum fuisse intra limites elasticitati proprias, vi quâdam, in brevius illum redigere perpetuo nitente. Hæc Vis Tonica appellatur. Tali gaudere dote, similibus ac longitudinales adstringi legibus fibræ circulares musculorum, quæ scilicet cava organa aut viscera formant vel circumdant, celebris JOANNES HUNTER suis experimentis, in vasa sanguifera factis, clare evicit : quoniam ergo videmus vim tonicam a distentione haud pendere, reliquum est, ut a cerebro deveniat ; et energię, sic dictæ, seu potestati cerebri nervosæ debeatur. Imperium quod hæc energia ; cujus natura nec mihi nec aliis cognita est, in vim tonicam possidet ex hac conspici potest ; quod affectus animi excitantes hanc mirum in modum adaugent, deprimentes hanc in tantum minuunt

nuunt ut pene deleri videantur : quod si jam gravior, inopinatusque affectus animi hominem perimat, musculos hâc vi penitus orbatos esse nupera experimenta comprobaverunt. Neque tamen interea negandum, quin auctâ distensione, augebitur musculorum tonus : hoc vero efficit distentio energiam cerebri excitando.

Nec defuerunt alia argumenta ex sanguinis detracti effectu ducta ; nempe, quod nihil magis quam sanguinis detractio vires univerforum in corpore musculorum diminuit, cujus rationem haud obscuram esse dicunt. “ Tam intime enim omnes per musculos sese dispertiunt vasa sanguifera, et tam arctus distentionem inter et tonum intercedit nexus ut, vasorum diminutâ distensione, necesse est omnium musculorum minuatur tonus.” Hoc vero argumentum, ut mea fert sententia, fallaciâ haud expers invenietur. Haud raro enim accidit, ut paucarum unciarum dispendium hominem robustum animo linqui faciat ; paucas vero unicas inter et totam circumfluentis laticis copiam tantum discrimen interest, ut vix in animo concipiamus, tantillam

quantitatem, omnes etiam minutissimos et remotissimos vasorum ramulos deplere posse: quodque haud minus ad rem est, ex eodem homine jam recumbente per plures sanguinis uncias detrahere possumus, nullo sequente animi deliquio, nec multum fractis musculorum viribus. Nonne igitur verosimilius est hosce effectus potius mutatae cerebri conditioni quam vasorum sanguiferorum depletioni deberi?

Ut huic quæstioni respondere queamus, paulo fusius de nexu, qui obtinet cerebri inter functiones et statum systematis sanguiferi, agere necesse duco.

Totius ergo laticis circumfluentis copiae pars circiter decima ad encephalon tendit, scilicet quadruplo major ac ullam ad aliam corporis partem, habitâ ad pondus ratione. Hinc colligere fas est, ad cerebrum excitandum suisque muneribus aptandum opus esse largâ sanguinis copiâ. Maximam etiam impendisse curam natura videtur, ut vasa sanguifera chordis fibrillisque nervosis ubique intertexat: fibrillæ enim nervosæ in toto
suo

fuo decurfu ufque ad fines ultimos piâ matre inveftiuntur, quæ robur medullæ impertitur, et plurima ad illas tendentia vafa fufientat. Quantum ad nervorum functiones confert hic textus, etiam ex hoc liquet, quod eæ corporis partes fenfilitate acutiffimâ pollentes, quam plurimis gaudent vafculis quæ nerveas fibrillas undique perreptant et cum iis intime mifcentur : hoc, in linguâ, oculis, in omnibus demum organis fedibusque fenfuum, videre licet. Hanc noftram affirmationem corroborare videntur inflammationis phœnomena : in parte enim inflammata auctam fanguinis quantitatem aucta fenfibilitas comitatur. Omne vero hâc de re exemit fcrupulum celeberrimus MONRO * periculis compluribus in ranas factis, quorum unum hic narrare fat erit. “ I have
“ found, after the fciatic nerve had been cut, and
“ the member was infenfible and motionlefs, that
“ the circulation of the blood remained for a year
“ thereafter, rapid and free in the hind-leg of a
“ frog ; nay, that when I had broken the bones

B 2

“ and

* Vid. MONRO'S Observations on the Nervous System.

“ and wounded the flesh, an inflammation was ex-
 “ cited, and at last the wounds were closed with
 “ new matter, and the broken bones reunited.
 “ Yet we have the strongest reasons for believing,
 “ that the small vessels in circulating the blood,
 “ in inflammation, and in the production of new
 “ matter, are actuated by a nervous energy,
 “ which, in the case before us, could only have
 “ been furnished to the nerves by the vessels of
 “ the Pia Mater and the cineritious substance it
 “ produces.”

Omnibus ex his colligere licet, magnâ sanguinis
 copiâ opus esse cerebro nervisque ut illorum func-
 tiones rite peragantur : et quoniam encephalon
 tantum pro ratâ parte sanguinis accipiat, mutatio-
 nes etiam leves in sanguinis copiâ hanc, magis
 quam cæteras corporis partes, affectum iri.

Rebus sic sese habentibus, anne rationem redde-
 re queamus, cur, homine erecto, si perpaucae e-
 ducantur sanguinis unciae animo deficit, dum i-
 dem, si modo supinus recumbat, multo majus dis-
 pendium ferat, levi duntaxat superveniente debili-
 tatis sensu ?

Dum

Dum corpus erecto servatur situ, plurimi musculi voluntati obedientes contrahuntur; ad hanc contractionem perficiendam opus est haud parum majori potestatis nervosæ cerebri copiâ quam quæ ad vim tonicam universorum in corpore musculorum conservandam sufficit: nunc si sanguinis uncia una vel altera subito educatur, hæc evacuatio cerebrum præsertim afficiet, et ejus functiones, ideoque potestatem nervosam debiles reddet. Hujus nervosæ potestatis diminutio in vim musculorum tonicam incumbet. Cordis igitur arteriarumque vires collabuntur, nec momento sat forti sanguinem promovent; caput vero, situm ob erectum, hâc virium diminutione magis quam cæteræ corporis partes afficietur; potestate itaque nervosâ omni in temporis articulo diminutâ, pro ratâ parte minuentur cordis arteriarumque vires, donec tandem vel prorsus deficiunt, vel saltem ad encephali actionem conservandam impares fiunt, ideoque homo in animi deliquium incidit.

Nunc vero ad ea quæ dum homo supinus recumbat, in sanguinis missione accidunt, animum advertamus:

mus: hoc in casu muscularis contractio quam minima est, quam minimum nervosæ potestatis desideratur, ejus quidquid adest in tonum muscutorum sustinendum totum impendi potest: vires itaque organorum sanguinem promoventium sunt quam integerrimæ, sanguis ad encephalon quam maximo fertur impetu et copiâ, gravitate suâ haud oppugnatus; ergo, nervosâ cerebri potestate salvâ perstante, integræ servantur organorum circulationi dicatorum vires, et sic, his functionibus alterâ alteri subsidium ferentibus, evenit, ut citra animi deliquium tanto majorem evacuationem homo recumbens facile ferat. Hanc opinionem confirmare videtur remedium quo ad Syncopen, per evacuationem inductam, curandum utimur, situs scilicet corporis recumbens.

Auctam, quoad systema hæmatophorum, cerebri energiam, Diathesin Phlogisticam appellare velim.

Hicce de sanguinis circuitu, cerebrique functionibus præmissis sententiis, nunc effectus quos venæsectionem in morbis sanandis edere vidi, breviter enarrabo. A primo usque ad hodiernam diem ab

omnibus sanctissime receptum fuit, quod in inflammationibus phlegmonoideis, præsertim si adsit pyrexia, nullum præstantius, nullum presentius quam phlebotomia remedium dari. Sed non solum ad curandos, sed etiam hosce ad morbos præcavendos hujus remedii administrationem utilem inveni (si modo Tironis experientiæ fidere licet) nam cum ad chirurgiæ studium accingebam, contigit ut in nosocomio peramplo omnes, quos recens injuria affligebat, mihi curæ essent ægri; et tunc temporis, hujusce praxis utilitas mihi haud opinanti sese obtulit, præsertim in ægris fracturâ laborantibus, quos hoc modo tractare solebam. Rigore, pallore amotis, qui injurias omnigenas sæpissime stipant, vultu ad rubidinem jam proclivi, protinus sanguinem ex amplâ plagâ, (si modo roboris ætatisque constantis æger fuit), ad uncias sexdecim misi; et horâ elapsâ propinandum dedi catharticum ex salium neutrorum quorundam solutione, et hoc felicissimo cum successu; nam in casibus plerisque nec inflammatio, nec spasmi membri affecti ægrum vexabant. Longe vero aliter res sese habuit, si quâcunque de causâ

mem-

membrum inflammatione prius correptum fuisset, quam sanguis mitteretur ; tunc enim spasmus musculorum incessanter partes fractas ex loco dimoverunt, dolor acerbus ægrotantem in furorem adegit. His etiam in angustis, præstantissimum vel potius unicum remedium venæsectio præbuit. Sanguis flumine et modo quam plenissimo educatur ; vires paulatim collabuntur, immanis furor in levem desipientiam, aliena subinde musitantem, vertitur, fudor erumpit ubertim, et in lectum decumbenti placidus obrepit somnus : ex quo expergiscens æger mente jam fruitur sanâ.

Effectus quam maxime salutares præbet sanguinis detractio in illâ tussi, quæ phthisim vel jam incipientem vel futuræ metum designat.

Hujus remedii utilitas vel potius necessitas frequentibus cognoscitur signis. Tussis rauca sicca : Dolor permanens, circumscriptus, quem omnis ad tussendum conatus exasperat, in aliquâ thoracis parte ; ex hâc sede tanquam ex centro leves, lancinantes dolores pulmonem quaquaversum transfigunt, temporis intervallis

nunc

nunc longioribus nunc brevioribus. Constrictionis sensus liberam impedit respirationem. Sæpe irritatio perennis in Glottide vel in Trahea tussim indefinenter excitat vanam ; haud raro tamen ægrotus pauxillum feri, vel pituitæ tenuis, mucosæ nec infrequenter sanguine leviter tinctæ, magno non sine labore excreat. Noctes somno vacuas agit, molesto caloris urentis sensu cruciatus. Hæc symptomata, quæ pulsum plerumque durum, parvum et frequentem comitem habent, venæsectionem fastigant ; cujus evacuationis mensura ex ægroti robore, et ætate, habitu corporis, et doloris intensitate optime discetur : In genere vero octo vel decem sanguinis uncia levamen optatum afferent ; in raris quamvis casibus symptomata vidi primâ evacuatione minime sublevatâ, repititâ prorsus fugata fuisse. De repetendæ evacuationis utilitate vel salute medico judicare licet ex prioris effectibus. Nam si pulsus nec celerior nec infirmior evadat, presertim si durus persistet, maximeque si rivo pleniore, et ictu firmiore tangentis digitum feriat, nec ægrotantis vires dilabuntur ; tunc non

solum sine incommodo, sed etiam fructu cum uberrimo vena iterum tundatur, et sanguis flumine et modo pleno, vel saltem non parco mittatur. Omne tamen periculum, omne malum, hæc sola medicina haud adimet : Quæ vero supersunt emplastro vesicanti super sedem doloris applicato citissime plerumque cedunt : Neque jam spernendæ sunt oppii vires : Hujus cum aliquo liquore mucilaginoso permisti pauxillum sorbeat æger urgente tussi : Quod si tussis haud molesta foret tunc magis arridet haustus ex laudano liquido cum vini antimonialis idonea quantitate horâ somni propinandus. Pulvis sudorificus compositus maximo cum fructu exhiberi potest parvulis in dosibus, terve quaterve in die repetendus, si tussis adhuc vexet si cutis arida liberam, citra tamen sudationem, perspirationem postulet. Hæc medela (si modo in posterum ut diæta habilis esset ægroto curæ fit, si exercitio utatur constanti sed leni, si subito admotum corpori frigus evitet) semel adhibita, vel quoties recrudescent symptomata, repetita, plurimos per longum tempus, imo etiam per longam vitam

vitam a Tabe Pulmonariâ immunes fervaſſe nullus dubito.

Neque in pthiſis ingreſſu ſolum, ſed etiam ubi nullus quæſtioni locus eſt quin æger pthiſi laborat confirmatâ Phlebotomiam prodeſſe vidi. Hic vero caute procedendum eſt; hic medicus ex doloris intenſitate, respirandi difficultate, pulſu, aſſueto venæſectionis uſu et ætate judicet quid valeant, quid ferre recuſent vires, anne hæc evacuatio utilis foret, anne prorſus omittenda eſt. Quod ſi utilem fore judicet parcâ tamen manu mittendus eſt. Hac de re differens medicus te ingenio et obſervatione nulli ſecundus, JOANNES PRINGLE Eques, his utitur verbis: * “ I have found theſe
“ ſmall bleedings not only beneficial in old coughs,
“ threatening conſumptions, but alſo after hectic
“ ſymptoms had appeared. The quantity of
“ blood drawn, was from four to ſeven ounces
“ once in eight or ten days, and ſometimes a vein
“ was opened after ſhorter intervals. It was obſervable, that the patients never found themſelves
“ ſo

“ so much relieved on the first as on the second
 “ or third night after bleeding. Nor would I re-
 “ commend this method for common practice,
 “ without making great allowance for the strength
 “ of soldiers, and suiting the quantity of blood to
 “ be let, to the condition of weaker patients.”

Nonne verosimile est, quod incommoda quæ
 nosocomium castrense inseparabiliter comitantur,
 ædium et cubiculorum humiditas, stragulorum
 penuria, &c. milites horum malorum recrude-
 scentiae obnoxios reddidêrunt. Mihi certe hac-
 tenus minime videre contigit ægrum, vel pthi-
 sin ingruentem formidantem, vel confirmatæ
 succumbentem, molestiis tam gravibus angî,
 quam ad lanceolæ usum intervallis his brevissimis
 repetendum medicum impellant.

In illo Phlegmasiarum genere quæ a Nosologis
 Enteritidem vel Peritonitidem audit, sanguinis
 detractio pene unicum remedium est ; vel saltem
 sine quâ alia quæcunque medicamenta prorsus
 inutilia fore timeo. Hoc ex paucis, dolendis at-
 tamen exemplis, didici : Mihi enim quatuor con-
 tigit

tigit hunc videre morbum medicis et experiētiā et prudentiā nulli fecundis tractatum, infausto tamen in omnibus eventu, et hoc, pace tantorum virorum, nimis parcæ sanguinis detractiōni tribuendum censeo. Si enim analogiam hic adducere licet, omnibus plane patet hujus remedii utilitas vel potius necessitas inevitabilis. Mihi itaque videtur illam inflammationem quæ Lithotomiam sequitur, vel Herniam incarceratam comitatur, in suā naturā quam simillimam Peritonitidi esse: Imo, ut inter se discrepant haud in animo concipere possum; omnibus vero chirurgis, et quod haud minus ad rem est, omnibus Lithotomis itinerariis bene notum est huncce morbum quam citissime et quam certissime lethalem fore, si principiis largā venæsectione non obstiterint, et ad hanc, veluti ad aram, protinus confugiunt. Nec tali in casu possunt, iisdem ac in cæteris pleisque phlegmasiis dirigi signis; neque enim pulsus validus et durus hoc remedium indigitant, imo e contra pulsus celer et perquam parvus talem evacuationem, perniciosam veluti futuram, veta-

vetaret ; ergo pulsui quam minime fidentes ad dolorem solum animos advertunt ; et hoc signo edocti sanguinem largissime detrahunt, unde dolor mitior, pulsus plenior evadunt neque hic gradum sistunt, sed hanc repetent evacuationem donec omnis omnino remiserit dolor. Plerumque in tali praxi accidit, ut sanguinis copiosissimæ evacuationes tam facile et cum tantillo virium dispendio ferant ægri, ut pene pro miraculo fuerit.

Maxime tamen dolendum est quod in Peritonitide, morbo tam subito lethali, hoc unicum signum, hoc solum auspicium, dolor scilicet acerbus, sæpe desideratur. Ita ut veniam impetrem spero dum breviter exponam signa, quæ hunc morbum designare, hoc remedium indigitare videntur, et ad quæ notanda impulsus fui a morte repentinâ et inopinâtâ illius quem huic morbo succumbentem primum vidi.

Morbo jamjam nascente, dolor abdominis pungens et sat circumscriptus est ; brevi, ponam unius diei tempore, dolor diffusus, minus pungens evadit. Abdomen tumidum et tensum levissimum

eti-

etiam tactum non sine dolore ferat. Pulsus parvus, frequens, usque ad centum cum viginti, vel etiam centum cum quadraginta in horæ minuto. Urina pauca, ægre, nec magno sine dolore reddita; nec tumor ullus, nec dolor specialis in vescicæ urinariæ regione sese tactui prodit. Corporis jactatio ægrum angit, plerumque corpus ad anteriora inclinatur vultus cruciatus peracutus haud designans, nec facile verbis describendus; neque magis graphice aut clare hunc depingere possum, quam vultui conferendo hominis anxietate intolerabili devicti. Vultus vero utut difficilis depictu, attamen semel observatus, in posterum facillime cognoscendus erit. Sitis, frequentes forbitiunculas, potius quam plenos haustus, postulat. Neque omittendum est quod cutis, presertim artuum inferiorum, admodum friget; sæpe sudore manat frigido maximeque cum morbus in necem tendit. Enemata raro injici possunt, vel, si forte fortunâ parcius injici possint, plerumque sine fœcum admistione redduntur. Hæc signa, si omnia vel pleraque simul adsint, protinus ad sanguinis

nis largam detractiōem tanquam ad aram nosmet recipere neceſſe habeo ; ex plagâ tam ampla mittendus eſt ut ſine lypothymia uncia ſexdecem vel viginti educantur ; quodſi ſanguine fluente pulſus plenior evadat, et quaſi ſeſe explicat tunc uberrimo cum fructu ad uncias viginti quatuor fluere ſinamus. Nec, quamvis ſymptomatum levamen hæc prima evacuatio haud afferet manus jam ſiſtenda eſt ; ſed exinanitionem hancce iteremur ſi ægri vires multum non fractæ ſint, ſi dubitationi vix eſt locus quin æger enteritide laboret ; hæc enim omiſſâ evacuatione, nulla ſalutis ſpes (me iudice) ſupereſt in totâ, quam materia medica continet, medicamentorum farragine. Induciis ſic pactis, hoc remedium iterum, fortasſe multoties repetere opus foret.

Hic aliquis dicat : “ Signa jamjam allata enteritidem vel peritonitidem non tam accurate deſignant, quin errori locus ſit, et Nephritis, Colica, aut alii morbi veluti enteritis tractentur.”

Eſto : Mihi enim experientia ſat amplâ non comprobata ſunt ſigna recensita pro Pathognomoni

monicis : Attamen ab omnibus concessum fore judico quod pleraque hæc signa, si non inflammationem jam presentem, saltem futuræ metum indicant, et hoc concesso, regimen præscriptum non modo sine periculo, sed summo cum commodo adhibitum futurum. Podagra, forsitan, retrogressa, vel hysteria exquisita hic exceptionem præbebunt. In his vero raris exemplis, historia morbi vel signorum prægressorum, omne eximet scrupulum.

Neque soli phlebotomiæ enteritidis cura committenda est, nec alia spernamus in rebus tam angustis auxilia laudata, imprimis cathartica, vesicantia abdomini imposita, et enemata. Sanguinis detractione semel celebratâ, porrigamus cathartica, sic dicta, drastrictica (præmissis extracti opii grano uno aut altero ut sedatur nausea et vomitus), scilicet Calomel, Jalapiam, Gambogiam, Aloem, et alia, quæ, parvâ mole, effectus edunt magnos. Hæc in pillularum minutissimarum formam redacta, et intervallis brevibus exhibita, ventriculum non gravabunt, et ideo lon-

ge anteponenda videnter iis, quæ formæ liquidæ vel indolis sunt mitioris; hæc enim, mole tantâ exhibere neceffe est ut vix evenire queat quin vomitionem reducant, et sic spem medicæ fallant, ægroti cruciatus plurimum augeant.--- Emplastra vesicatoria proximum occupabunt locum, nam iterum et sæpius evenit ut cathartica et enemata quæ longum per tempus in ventre intestinisque jacuissent inertia, plenum et salutarem edidisse effectum illo in temporis puncto, quo primum vesicatorium in abdomen impositum stimulare sensit æger.

Medici et famâ celebres et omni fide digni narunt quod omnibus hæctenus enarratis incassum adhibitis, alvum ciere tentati sunt Nicotianæ fumo follis ope in intestina immisso. Alii alvum ducere tentati sunt aquâm per syphonem idoneum injiciendo, et hæc tanta copiâ fuit adhibita ut non modo crassa intestina impleret, sed superato isto renixu, qui a valvula coli oritur, tenuiora intraret. Hoc vero, satis manifestis de causis, non temere tentandum est.

In illâ hæmorrhagiarum specie quæ activa dicitur sanguinis missio remedium haud inusitatum, haud inutile est ; attamen ni fallor, et multo felicius sese præbuiſſet, si modo rebus quum maxime presentibus, adhibitum fuiſſet : Ut meam hâc de re sententiam exponam, paulo fufius de hæmorrhagiæ activæ naturâ dicere, neceſſe habeo.

Hæmorrhagiam itaque activam in ſuâ naturâ ad inflammationem phlegmonœideam proxime accedere vel analogam eſſe duco : Signa enim caloris, doloris, pulſationis utriſque ſunt communia ; morbus uterque haud raro eſt localis, nec minus raro utrumque pyrexia vel præit, vel comitatur. Remedia eadem morbis in utriſque ſimiles edunt effectus, ſanguinis ſcilicet detractio veſicatoria prope partem affectam, aer frigidus, emetica, vel potius medicamenta quæ naufeam ciunt : Et inflammatio et hæmorrhagia morbi ſedem ſic afficiunt, ut prona ſit ad recidivationem. Si ſententia jamjam allata ſatis firma ſit, in aperto erit hæmorrhagiam pro cauſâ ſuâ, ut dicitur, proximâ, plethoram non agnoſcere (inflammatio enim

sæpe in corpore inani oritur) ideoque plethoræ amotio, nec in totum nostrum tenebit animum, nec ut indicium præcipuum in hæmorrhagiâ curandâ, sese offeret. Nec tamen prorsus prætereunda est, utpote quæ, cerebrum excitando, vim musculorum tonicam auget, et Diathesin efficit phlogisticam: Hæc vero vel hæmorrhagias inducit vel sæpe comitatur. Rejeçtâ ut causa hæmorrhagiæ plethorâ, sola, ni fallor, superest abnormis actio systematis hæmatophori, et forsan congestio in morbi fede. Quibus igiturne remediis huic abnormi actioni occurrendum est? Mihi videtur omnia medicamenta quæ ad hunc sistendum fluxum utilia adhuc inventa sunt; e. gr. emetica, acida large sumpta, alumen, &c. &c. hunc effectum edidisse inducendo rigorem, nauseam levem, et nescio quam debilitatem et in animi deliquium proclivitatem; et sic actione abnormi vasorum hæmatophorum suppressâ, vel prorsus amotâ; sanguinis circuitus dehinc æquabilis, et leges secundum naturæ fiet, donec causa aliqua excitans actionem reducet abnormen. Cum itaque sanguinis mis-

sione

sione ad hæmorrhagiam compescendam uteremur, minus ad sanguinis circumfluentis copiam minuendam, quam ad hanc nauseam, debilitatem et in animi deliquium proclivitatem inducendas operam dare oportet. Hoc ad efficiendum nullum præstantius, nullum, cujus regimen æque in nostra sit potestate, remedium invenietur, quam venæsectio; homine scilicet erecto, et plagâ exempliâ sanguis educatur. Si vero plethora et metus adfit ne alterâ vice homorrhagiam, vel recidivæ proclivitatem afferat, tunc homine decumbente, et miniore e plagâ quantum ad sanguinis redundantiam tollendam sufficit, opis est nostri educere. Mihi etiam videtur quod, præmissâ sanguinis jacturâ non modo emeticorum securam sed aliorum remediorum administrationem efficacem reddet, modo haud absimili, ac in Rheumatismo acuto sanguinis detractio præmissa efficacem reddit diaphoreticorum usum.

In morbo qui adhuc pene invictus grassatur, Hydrocephalo interno, remedia quæ profutura videntur proponere proculdubio fas erit: et in hoc
jam-

jamjam nascente, non ullum magis quam phlebotomia mihi arridet. Quæ me hanc in sententiam induxerunt, exaudi.

Ætas quæ huic morbo præcipue obnoxia est ea scilicet, in quâ caput versus sanguis pro ratâ parte maxima copia fertur. Symptomata quæ morbum incipientem comitantur: e. gr. Dolor capitis, nausea, vel vomitus, alvus pertinaciter adstricta, oculi lucem refugi-entes: Hæc omnia etenim signa et adfunt, et conjunguntur in ægris cerebri vel meningum inflammatione correptis, quod omnibus Chirurgis sæpe videre licet. Huc etiam tendunt cadaverum sectiones. Quos enim morbus, jamjam nascent, e medio abstulit in his (ni fallor,) cerebrum meningesque plurimis scatebant vasis sanguine adeo turgidis, ut arte anatomicâ repleta esse videbantur; paululo solimmodo aquæ in cerebri ventriculos effuso: Quod si cursu morbi absoluto, æger fato fucubuisset, inflammationis vestigia vel nulla vel pauca omnino sese spectanda præbuerunt; aquæ magnâ copiâ effusâ.

In

In illorum morborum quibusdam quos illustris nosologus CULLEN, sub ordine Spasmi disposuit, mihi videtur, sanguinis detractionem haud raro idoneum et præstans remedium inventum iri. Quæ vero signa hanc evacuationem admittant, quæ hanc flagitent, singulatim nunc dicere, et temporis et experientiæ defectus vetant.

F I N I S.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.
 Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

Ich habe dich schon oft gesehen, doch nicht
 in der Art, die du jetzt bist. Du bist
 nicht mehr der gleiche, den ich kenne.
 Du bist jetzt ein anderer Mensch.

DISPUTATIO IN AUSEPACIA

1770

DE ANIMALIA INCREMENTO

IN ANIMALIBUS ET PLANTIS

COMPLETENS

